



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VIII. Peccatum Originale à Patribus expensum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

1546. legis veritate in quibusvis aliis ex Adami semine procreatis. Equidem, si viueret adhuc Suauis, admonitum ipsum vellem; licet qui summæ auctoritatis viros nonnumquam impugnat, notam temerarij non incurrat, qui tamen illos irridet, semper ipsum irrisi- nibus subiacere. Quâ ille confidentiâ ausus est, nullâ tandem scien- tiâ scriptor eximius, nullâque ingenij sui præclarâ commentatione memorabilis, deridiculo habere, quasi inania capitula, cunctos Theologos Concilij, & tot Doctores, qui per tria sæcula veram aut probabilem hanc sententiam existimarunt? Quî fieri poterat, vt in mentem ipsi non caderet, etiamsi Ecclesia Catholica Diuini Præsi- dij præsentem opem non haberet, eam certè potiori humane sa- pientiæ parte constare; adeoque posse quidem tunc fieri vt in ali- quo fallatur, adhuc tamen vt planè desperet, fieri non posse? Qui- cumque res tenues admiratur, imperitè sanè, sed reuerenter se gerit: qui res maximas deridet, inscitè simul ac petulanter agit.

C A P V T V I I I

Peccatum Originale à Patribus expensum.

ENimuerò quantum admirationis potius quam irrisionis me- rerentur Patres Concilio operam dantes, liquebit mox in ar- gumento Originariæ noxæ, quod primæ Sessioni, vt narra- uimus, explicandum seponebatur. Expensum illud fuit & priuatum in peculiariibus Theologorum, & publicè in generalibus Patrum congressibus: vbi disciplinas Theologicas haud professi ibant in sententiam peritiorum Patrum in ea scientia, sicuti obseruat Plato, in humanis videlicet negotiis id fieri consueuisse, quod illi placet, summus infimûsve sit, qui iis in rebus sapientissimus habetur. Studet quidem suadere Suauis, in Episcoporum conuentibus, ob Patrum Theologiam callentium infrequentiam, fuisse rerum capita languidè delibata, adeoque indiligenter digesta. Nihil profectò veritati repugnantius. Capere coniecturam licebit ex modica quam referam parte subtilium & eruditarum animaduersionum, quas penè innum- erabiles illi protulerunt: at equidem ne molestiam copiâ pariam, eas dumtaxat sèligam, quæ viam aperiunt ad mentem Concilij me- liùs introspectandam in definitionibus promulgatis. Nec immora- bor in refellendis iis, quæ Suauis parum edoctus, multumque con- fidens, colorat de variis Theologorum sententiis: abundè sit adin- fringendum falsum, veri narratio.

Examen in quinque capita distributum est: Primum, de Natura peccati

peccati Originalis: Secundum, de Modo, quo in posteros propagatur: Tertium, de Allatis ab eo detrimentis: Quartum, de Iplius remedio: Quintum, Quanam esset huiusmodi remedij efficacitas. 1546.

3 Cum igitur à primo ordirentur, * Pelargus, Treuirensis Antistitis Procurator, in priuatis cœtibus pro certo sumpserat, & in confesso vel apud hæreticos in colloquijs Wormatiæ habitis anno 1540. Originale peccatum situm esse in priuatione Iustitiæ Originalis, in qua fuerat Adamus à Deo constitutus. Contra id arguit Antonius à Cruce, Canariensis Antistes, huiusmodi priuationem haud quidem ipsum peccatum esse, sed quamdam ipsius pœnam. Tum Angelus Paschalis Dominicanus, Motulanensis Episcopus, non sententiâ modo, sed verbis S. Thomæ productis ita disseruit: Non aliunde melius declarari posse naturam Originalis noxæ, sicut & cuiusuis defectus, quàm à natura perfectionis oppositæ; prout, exempli gratiâ, vt intelligatur, quidnam sit cecitas, opus est intelligas, quid sit videndi facultas: esse peccatum Originale vacuitatem quamdam oppositam illi perfectioni, quæ Adamum innocentem condecorabat, & *Iustitia Originalis* nuncupatur: oportere igitur ex illius notione illius naturam explicari. Iustitia Originalis, aiebat ille, duas obtinebat partes; alteram, quæ præcipua erat, & quasi forma; alteram, quæ ad integritatem spectabat, & quasi materia. Prior erat humani arbitrij subiectio sub legitimo Domino, qui Deus est; posterior erat itidem subiectio interiorum facultatum ipsi arbitrio, quod legitimus illarum princeps est: desciscente hominis arbitrio per Adami peccatum à Deo, descisuisse quoque facultates arbitrio subiectas: hæc posterior perturbatio, aliæque hominis damna in rebellantis arbitrij ultionem inflictæ, esse quasi Originariæ culpæ materiam; primam verò perturbationem, quæ non pœna, sed culpa fuit, esse formam, quâ ipsius natura constituitur.

* In Congreg. generali 21. Maij & sequentibus.

4 His communiter assentiebantur, cum Balthasar Eredia Dominicanus, Bossanensis Episcopus, aliam S. Thomæ doctrinam in medium attulit: Tametsi omne peccatum vniuersè consideratum, præcipuè & tamquam per suam formam constituatur per destitutionem contrariæ sibi quæ debitæ probitatis, & ex hac parte nequam illud effectus sit, sed defectus; tamen id quod huic perinde atque ceteris rerum priuationibus subiicitur, esse veram rem, verèque existentem. Ita pariter, quamquam morbus in vacuitate iustæ temperationis tamquam in sua forma situs sit; illi tamen subsistere tamquam materiam, humores corporis, quæ res, non rerum priuationes sunt. Pariter igitur peccati Originalis naturam consilari ex

Pars I.

Q999

memo-

1546. memorata debiti ordinis destititione; sed quod illi subternitur, esse facultates animi, huiusmodi ordine carentes, ac potissime concupiscendi vim, quam *concupiscentiam* vocant, hoc est propensionem animi ad fluxa bona: vnde quandoque à Patribus *peccatum* eadem appellatur, eâ ratione quâ humores corporis deprauati *morbus corporis* nuncupantur.

Quod spectat ad secundum Caput ex quinque connumeratis, Ioannes Fonsæca Stabienfis Antistes censuit, huiusce noxæ propagationem in posteros, à quibus voluntariè commissa non est, declarari facile posse Regis exemplo, qui oppidum ita concessit alteri subdito, vt illud tam ipse eiusque posteris beneficiario iure possideant, dummodò à fide Principis non desciscat: vbi enim ille desciscuerit, oppidi possessione spoliatur vniuersa ipsius progenies, nec ideo huic conqueri licet pœnam sibi non iuste inflictam; cum potius deberet Principi grates agere, qui ob factam primo parente liberalem donationem oppidi, posteros omnes illius hereditaria ditionis capaces reddiderat. Huius beneficiarij dominatus similitudo fuisse decora Iustitiæ Originariæ, quæ Deus liberaliter Adamo contulit, eorumque spoliationem esse maculam originalem. Quo exemplo nonnullis visum est haud planè satisfieri proposito declarationi; quippe quod neutquam declarabat, transmitti posse culpam genitoris in posteros, sed solum pœnam. Reuerà tamen satius illud erat intentæ à Fonsæca explicationi, per quam solum exponere contendebat, quo pacto Deus ob alterius noxam absque iniuria multare nos posset. Quâ verò ratione huiusmodi noxa nostrum omnium culpa vocetur, alterius est quæstionis; idque apposite explicauit Paschalis, similitudinem à S. Thoma mutuatus. Quemadmodum enim nostra membra, quamuis libertatis ac rationis expertia, dicuntur ex eo delictum patrare, quòd ad operis illiciti deformitatem mouentur ab imperante animi facultate, quæ in eo peccat non aliter infantes, quamquam nihil voluntariè de se commiserint, vnde in eo statu tot bonis vacuo, & nec hominis fini, nec debite Deo subiectioni consentaneo nasci deberent; dicuntur tamen in Adamo peccasse, quatenus is, qui naturam humanam in sua fecunditate integrè continebat, suæque in electione bonum malumve illius naturæ statum, effecit per voluntarium delictum, vt vniuersa sui generis posteritas cum ea macula eaque peruersione nasceretur. Atque ad hoc clariùs exprimendum, S. Thomam pariter adduxit, vbi adnotat, in Adamo ab ipsius peccati macula naturam contaminatam; contra verò in nobis à naturæ macula nos ipsos contaminari.

- 6 Fufius quàm alij locutus est Bertanus. Priùs ille confiderauit, inter recentes hæreticos in Originali peccato Zuinglium præcipuè aberraffe. Qua in re Suauis non modò peccat, conatus hærefiarum excufare, & ad communem fententiam pertrahere aduerfus ea quæ nos alibi fatis explicauimus, & quæ de feipfo fatetur Zuinglius; fed etiam ftudet Tridentinos Theologos laude exornare minimè ipfis expetibili, dum narrat, eorum quofdam, qui Zuinglij fcripta perlegerant accuratiùs, id ipfum ceu verum agnouiffe. Quod ne in mentem quidem eorum cuiquam ueniffe reperio.
- 7 Copiofè poftèa de tertio Capite Bertanus differtit, quod allata per eam culpam detrimenta complectebatur. Apud Ecclefiam, aiebat, certum effe, Adamum, præter acceptas naturæ dotes, habuiffe ex mera Dei liberalitate rectam animi habitudinem atque iuftitiam; quam fi custodiuiſſet, immortalitatem in fe fuæque ftirpe poſſediſſet, & in ipſam cuncta eadem bona tranſmiſiſſet. De ceteris prærogatiuis, cuiuſmodi foret ſcientia de ftellarum motibus ac uirtute, ſcriptores minimè concordare, an illæ non minùs hereditariæ futuræ fuiſſent. Deinde certum effe, Adamum peccaſſe uiolatâ Numinis obedientiâ, indeque fe fuamque familiam perdidiffe; ſeu quòd uetium pomum comederit, ſeu quidquam aliud pariter uetium perpetrarit, in delicti pœnam ſibi ſuæque poſteritati Diuinam gratiam amiſiſſe. Tum uerò quartum articulum leuiter attigit, dixitque, Ab ea pœna, quam Apoftolus *mortem* appellat, hominem non niſi Baptiſmi efficaciâ liberari. Poſtremò duo hæc in re cauenda præmonuit; alterum, Ne ſiniſtra induceretur perſuaſio de Diuina iuſtitia, dum in infantibus culpam alienam punit: in quo, quantum arbitror, eorum rationem habuit, qui cum Gregorio Ariminiſi hanc pœnam aduerfus S. Thomam extendunt ad ſubtractionem bonorum, non eorum modò quæ gratis impertiuntur, ſed quæ naturæ debentur, atque aded ad ſenſuum cruciatus. Alterum, Ne pœna eoſque attenuaretur, ut citra neceſſitatem Dei Filius ad nos ab ea redimendos adueniſſe uideatur: eos fortafſe denotans, qui arbitrantur, ſatis effe uirium in corrupta natura ad uniuerſam legem obſeruandam; & Ambroſium Catharinum, præſentem id temporis in Concilio, qui infantibus in limbo naturalem uitæ felicitatem aſſignat.
- 8 In alio cœtu de quarto Capite, nimirum de Remedio, ſermo fuit. Quod omnes affirmarunt, confirmaruntque Scripturæ testimoniis, effe Baptiſmum. Verùm uti variæ diuerſique generis eiufdem effecti, eiufdemque ſanationis cauſæ ſunt; ita tamquam cauſæ noſtræ

1546: recuperatæ sanitatis connumeratæ sunt præter Baptismum, merita & mors Christi, quæ vim ad sanandum ei lauacro impetrarunt; ad-
 ditaque pariter fuit gratia, quæ sancti reddimur, quæ non effectrix
 causa, sed ipsa forma sanitatis est. Syracusanus Antistes optabat, ut
 Fides causis reliquis aduiceretur, cum illam verba Christi consi-
 cient, ubi ei qui crediderit & baptizatus fuerit, salutem pollicetur.
 Idque à Seripando confirmatum est, vsque adeo efficaciam interio-
 ris Fidei supra vim exterioris lauacri exaggerante, ut in suspicio-
 nem inciderit, parui à se Baptismi virtutem æstimari: à qua suspi-
 cione in posteriori congressu se purgavit. Verumtamen plerisque
 non placuit, ut in Decreto Fides nominaretur, cum illa ad primige-
 num peccatum delendum vniuersè non exigatur, quemadmodum
 aliæ memoratæ causæ, prout constat ex infantium Baptismo.

Hæc Baptismi vis ad delendam abrogandamque totam peccati
 maculam, aduersus hæreticos recentes fuit ibi comprobata immu-
 neris atque dilucidis Scripturæ, Conciliorum ac Patrum dictis.
 Ostenditque egregiè Materanus, Lutheranorum errorem, quod
 post Baptismum remaneat quidem peccatum, sed quod non impo-
 tetur, aduersari communi Iurisperitorum doctrinæ. Etenim cum
 in memoratis testimoniis dicatur ipsum remitti, certum est Iuris
 Doctorum effatum, debitum remissione creditoris extingui. Id
 Motulanus corroborauit ex altera voce, *regenerationis*, in sacris Li-
 teris vsitata: generatio namque viuientium secum fert transfusum
 statu rei inanimis ad statum vitæ; ergo ad veritatem huius vocis
 opus esse, nè in hominibus ablutis Baptismo status mortis perma-
 neat. Atque uti vitæ generationem sequuntur potentia viresque ad
 vitales actiones exercendas, incolendaque proprias horum viuenti-
 um sedes; ita per Baptismatis regenerationem hominibus infun-
 di vires ad actus vitæ, quæ supra naturam est, efficiendos, acque ad
 ascendendum suo tempore ad huiusmodi viuentium sedem, quæ
 cælestis Regia est.

Quoniam autem Lutherani volunt, ipsam effrænem appetendi
 voluptates propensionem, quam *concupiscentiam* nominant, esse pec-
 catum Originale, adeoque cum hæc in Adami posteris post sulce-
 ptum Baptismum permaneat, etiam peccatum remanere; aggressi
 sunt Patres hanc doctrinam refellere, & præter alia Scripturæ di-
 cta, è quibus deducitur generatim, post Baptismum nullam macu-
 lam superesse, duo certa testimonia producta sunt, ad euincendum,
 concupiscentiam non esse peccatum. Alterum ab Archiepiscopo
 Turritano, illud scilicet S. Pauli, ubi dicit, Veterem hominem
 cruci-

crucifigi cum Christo, vt destruat corpus peccati, & ne vltra seruiamus peccato; ac proinde nos hortatur, ne peccatum in nostro mortali corpore regnet, neque eius concupiscentiis seruiamus. Igitur, arguebat Turritanus, si remanet concupiscentia peccato destructo, quâ dici potest, illam idem esse ac peccatum? Alterum ab Antistite Syraculano è S. Iacobi Epistola desumptum, vbi describens Apostolus generationem peccati, *Vnusquisque, inquit, tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Hinc ille conficiebat, concupiscentiam nempe quidem cum tentat & allicit, peccatum esse, sed postea illud parere: confirmavitque sententiam his Augustini verbis: *Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi lege suâ mouetur; quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Canariensis quoque ita disputauit; Si homo fuisset procreatus in suæ naturæ statu absque donis gratuitis, negandum non esse, quin è sui corporis temperamento fuissent oborti stimuli concupiscentiæ: cum ergo hæc natura sit, peccatum non esse; quod non natura, sed corruptio est. Adiecit Motulanus: Eum qui peccato tenetur, haud esse proximè expeditum vt cælum adeat: pueros sacro fonte susceptos esse proximè expeditos vt cælum adeant; eos igitur peccato minimè teneri. Vbi ad opposita argumenta diluenda ventum est, obseruauit idem, quo loco S. Augustinus dicit, remitti concupiscentiam in Baptismate, non quod ipsa non sit, sed quod non imputetur; ab hæreticis deprauatum fuisse Codicem Augustini, appositamque pro dictione *concupiscentia* dictionem *peccati*. Quod si quando Apostolus *concupiscentiam* appellat peccatum, palam esse ex perspicuitate adductarum Scripturarum, id per figuram ab eo dici: quemadmodum non quoduis aliud, sed ipsum Christum peccatum nominat, sicut Eucharistia panis dicitur, sicut Adamus à Deo dictus est puluis, sicuti cadauera eorum nuncupantur nomine, quorum ea cadauera prius fuerant corpora, vno verbo, sicuti effectus sæpè causæ suæ nomen obtinet, præsertim verò materiæ ex qua conflatur, vel compositi, cuius ipse materia fuit.

¹¹ Contra hanc communem Patrum sententiam Sanfelicius Canariensis Antistes, & Bonuccius Seruorum B. Mariæ Præses, tametsi comprobarent extingui, & non obtegi dumtaxat in nobis post Baptisma id quod præcipue peccatum est, atq; in eo Lutheranos damnant; adhuc visi sunt admittere in ipsa sola per se concupiscentia aliquam rationem peccati, quod tamen post Baptisma non imputetur.

1546.

Bonuccium Ioannes Baptista Campeggius Maioricensis Antistes acriter inculcavit, quasi & prius in concionibus, & postea in congressibus ad hæreticos propinquasset. At Bertanus amborum dictum explicavit, tamquam per laxiorem, minusque propriam significationem prolatum; quod Sanfelicius silentio, Bonuccius accuratâ oratione comprobavit, in qua exponere conatus est in qua re convenirent, in qua dissentirent Catholici & Lutherani de peccato Originali. Adiecit, se in superiori sua disputatione habuisse in animo non hæreticos excusare, sed Patres admonere, ut proserptionis verba essent eiusmodi, quibus hi solum, non item Catholicorum opiniones castigarentur. Seripandus quoque arbitratur, in eorum concupiscentia, qui Baptismum susceperant, aliquam esse rationem peccati, quatenus eadem animum ad peccandum inclinat: sed eo die communi existimationi acquieuit; sibi que temperavit, ne propugnatorem ageret illius sententiæ, quæ passim oppugnabatur, nisi benè digesto apparatu prius instructus, qui vel ad victoriam, vel ad honestam pugnam satis esset.

CAPUT IX.

Quæ Patres in propositi Decreti forma de peccato Originali observarunt: præsertim, an in renatis supersit aliquid odiosum Deo.

Decretum itaque ex Patrum consensu, de rei summa convenientium, conformatum à selectis ad id viris, fuit generali congressui octavo die Iunii propositum, ut ipsius tenor expenderetur. Dicebatur ibi, Adamum ob transgressionem amississe sanctitatem, in qua fuerat *creatus*. Hæc postrema vox commutata in *constitutus*, Paceco monente, non esse citra controuersiam, an Adamus interiorem sanctitatem obtinuerit primo quo *creatus* fuit momento: unde patet, quàm infirma deducatur à quibusdam probatio ad id affirmandum ex verbis Concilij, quæ nunc extant.

Habebatur eodem Decreto, totum Adamum ob culpam in deterius secundum corpus & animam fuisse mutatum, *nulla etiam anima parte illæsâ*. Hæc postrema verba deleta sunt, quòd videbantur sensus etiam comprehendi. Cùm autem diceretur ibi, id quod tunc legitur, per Baptismum non solum *reatum Originalis peccati remitti*, sed etiam *tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet*, nihil in priorem partem reclamatum; at posterior visa est nonnullis super-